CATALOGVS
LECTIONUM ET EXERCITATIONUM

QUÆ

A FESTO PASCHATIS

USQUE

AD FESTVM MICHAELIS

ANNI M DCCV.

IN ACADEMIA JVLIA

HABEBUNTUR.



HELMESTADI.

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
ANNO M DCCV.

FACVLTAS THEOLOGICA.

JOH. FABRICIUS D. Res veteris testamenti, quae a condito mundo usque ad nativitatem Christi gestae sunt, secundum tenorem sacrarum literarum in compendio tradet, & sic bene multa divini codicis loca recte exponendi, & a corruptelis torsionibusque vindicandi ansam capiet, nec privatim docere intermittet.

JO. ANDR. SCHMIDT D. per æstatem *B. Hildebrandi* libellum *de religiosis eorumque ordinibus* publice notis illustrabit & insigni auctario supplebit. In templo academico continuabit collegia practica, *homileticum* & *catecheticum*, domi vero *casuale*, quibus addet explicationem theologiæ dogmaticæ & moralis, nec non lectionem bibliorum.

CHRISTOPHORUS TOBIAS WIDEBURGIUS D. Fidei doctrinam publicis disputationibus repetet, & his absolutis symbola & confessiones sanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ explanabit. In domestico auditorio non modo Theologiam moralem & fidei dogmata absolvet, sed & hæc denuo auspicabitur, & cum aliis instituto examine repetet.

FRIDERICUS Weise *D.* Publica eaque ordinaria lectione epistolam Pauli ad Ephesios exponet. Huic suas in epistolam ad Galatas annotationes, quas publicis disputatio-

tationibus examinabit, addet. Privatim Theol. Exegeticam & Homileticam tradet.

IOH. BARTHOLDUS NIEMEIERUS D. Lectiones publicas contra Socinianos absolvit. Proximâ æstate secundum seriem capitum doctrinæ Christianæ selectiores Controversias tractabit, singulares â purioris Religionis orthodoxia recedentes sententias considerationi subjecturus, ac veritate cœlesti ex Scriptura Sacra stabilitâ errores eidem oppositos solidis rationibus destructurus. Domi suæ selectorum Scripturæ sacræ Dictorum explicationem, sicuti superiori hyeme fecit, suscipiet: Moralem Theologiam illustrabit, &, si Auditoribus ita visum fuerit, singula ejus capita publicis Disputationibus expendenda proponet. Exercitia quoque cùm examinatoria, tùm disputatoria continuabit.

FACULTAS JURIDICA.

GEORGIUS **Engelbrecht** Sen. Academiæ & Facult. Jurid. Prof. Cod. Ord. Quamprimum vires corporis permittent ad prælectiones Codicis tum publicas tum Digestorum privatas aliosque labores Academicos revertetur.

JOHAN **Eisenhart** *D.* Pandectarum Prof. Publ. Ord. Publica Pandectarum expositione exeunte mense Martio ad finem perducta, eandem operam denuo propediem suscipiet: ipsosque Pandectarum textus præcipuos compendiosa & ad usum fori accommodata methodo dispositos publice interpretabitur. In privatis lectionibus consveta sedulitate perget, novasque pro re nata inchoabit.

JOHANNES WERLHOFIUS D. Jur. Canon. & Feudal. Prof. Publ. Ord. Lancellotti Institutiones Juris Canonici publice interpretabitur; privatim expositionem Juris-

prudentiæ forensis Struvianæ sedulo continuabit, aliaque sive Publico, sive Privato in Jure opportune addet, nec disputando minus, quam docendo, optimæ juventuti proderit.

ANDREAS HOMBORGIUS D. Institut. & jur. crim. Prof. Publ. Ord. publice jus criminale, privatim Institutiones Justinianeas absolvet, & reliquos labores privatos cupidæ legum juventutis desiderio accommodabit, vires ingenii disputando periclitaturis non defuturus.

GEORGIUS **Engelbrecht** J. V. Doctorand. Serenissimorum ac Potentissimorum Academiæ Nutritorum clementissima gratia superiori anno Professioni Juris extra ordinem admotus in exponendo jure novissimo ex selectioribus Novellarum textibus occupatur, idque operam dabit, ut brevi ad insignium Novellarum CXV. & CXVIII. interpretationem progredi, iisque plenius excussis publico huic labori æstivo semestri finem imponere possit. Privatim nobilissimos Digestorum libros ad ductum Compendii jurisprudentiæ sui parentis & Institutiones Juris legendo & examinando indefesso labore illustrare perget. Disputationes vero publicas in Pandectas ad L. XXIII. perduxit, quibus absolutis fideli opera & promtissimo studio aderit illis, quos vel alia ejusmodi exercitia denuo instituere, vel industriæ suæ specimina publice proponere juvabit.

FACULTAS MEDICA.

ANDREAS JULIUS **Bötticher** D. & P. P. O. Pauli Barbetti Chirurgiam uberiore discursu illustrare conabitur, & quantum Senatus Academici negotia permittent, in publicis æque ac privatis lectionibus sedulo perget.

JO-

JOHAN. GEORG. STEIGERTAHL D. Quum ſibi exercitationes phyſicæ & mathematicæ ſimul demandatæ, problema illud phyſico-mathematicum, quod ab Academia Trevoltiana in Diario Anni cIↄ Iↄcciii. Menſ. Jun. Artic. III. fuit expoſitum, publica disquiſitione expendet; & quod allata ibi ſolutio quæſito haut penitus ſatisfaciat, dilucide exponet: *cur ab uno lumine in ſpeculis vitreis oblique inſpecto plures ejusdem reflectantur imagines.* Reliqvum qvod ſibi temporis concedetur, Artis Medicæ prælectionibus impendet.

AL. CHRISTIAN. GAKENHOLTZ D. In exponendis Medicamentorum officinalium, tam familiarium quam Rariorum, virtutibus & indole, quod elapſo ſemeſtri incepit, occupabitur, eamque operam ut ad finem perducat ſedulo allaborabit. Nec alias Nob. Dominis Studioſis vel re vel conſilio deerit.

FACULTAS PHILOSOPHICA.

HERMANNUS von der Hardt / Hoſeâ Prophetâ nupera publica recenſione reſtituto, & abſoluto in eum Kimchio, Raſchianis etiam, Maſoreticis, & Miſchnicis, aliisque Rabbinicis privatim pertextis, memorabilem nunc Hebræorum Criticam, nobiliora circa Hebræos Fontes momenta, publice illuſtrabit, aliis quoque Hebraicis & Philologicis varii generis rebus privatim operam daturus, nonnullaque opuſcula in uſus Studioſorum editurus.

IUST. CHRISTOPH. BöHMER, publice Vitriarii inſtititiones iuris nat. & gent. explicabit, & de epiſtolis latinis atque germanicis ornate ſcribendis aget. Privatas in Grotium de iure b. & p. abſoluet

prælectiones, & pro ratione vtriusque professionis suæ, politices ac eloquentiæ, alias auspicabitur. Publicas quoque in Monzambanum de statu imperii germanici disputationes, prævio programmate, propediem instituet, & collegium, vt vocant, examinatorium priuatum. Docet publ. hor X. & IV.

CHRISTOPHORVS HENRICVS RITMEIER Recensitis nuper septem prioribus capitibus ex Evangelista Matthæo, cum sermoni Christi in monte aliquantulum immoratus sit, proxime ad alias pericopas selectiores ejusdem Scriptoris divini progredietur. In privatis itidem laboribus, haud ita pridem cœptis, fideliter ac sedulo perget: & præter alia, quæ recepit, S. Macarii homilias expetentibus nonnullis familiares reddere studebit. Disputationes quoque publicas, ferente occasione, porro instituet. Nec qua poterit ratione profectus discendi cupidorum juvare prætermittet. Docet publice hora tertia.

HERMANNUS DIETERICUS MEIBOMIUS, Postquam publice, quæ in notitia principatuum Germaniæ circa res Ser^mæ Domus Brunsvico-Luneb. pauca adhuc restant, absolverit, per unum & alterum mensem in tabulas Pacis Riswicensis, Imperium inter & Gallos conclusæ, atque super Westphalicam & Neomagensem fundatæ, commentabitur, eaque ratione Europæi orbis mutationes & historiam novissimam explicabit. Privatim scholas Puffendorfianas urgere perget; neque ulla ratione, qua historica & jurispubl. qua alia studia discentium desideriis est defuturus. In quorum etiam usus Controversias illustres Seculi XVII. publicis aliquot disputationibus pertractabit. Docet publ. hora. II.

JO-

JOHANNES VVILHELMVS Engelbrecht, ex Moralium professione, quam sustinet, nobilissimam partem, jus scilicet Naturale ad ductum institutionum I. N. Celeberrimi Domini Eisenhart publice porro interpretabitur, ut hoc labore absoluto ad jus Gentium deinde progredi possit, huic fini Collegium Grotianum Kulpisii expositurus. Privatim, lectionibus moralibus ut & Jur. Nat. & Gent. ex doctrina Hugonis Grotii nuper finitis, novas propediem ad insigne opus de j. b. & p. ut & institutiones doctrinæ moralis aperiet. Commentationes etiam juris Gentium publici juris faciet. Docet publice hora VIII.

RVDOLPHO CHRISTIANO VVAGNERO in commentationibus publicis in *Artem Geometricam Feldeni*, ex partis posterioris cap. III[tio] et IV[to] quædam adhuc restant problemata, ob frigidum et asperum cœli statum in campo usque huc haud expediunda, reliquis hujus Tractatus interea ad finem perductis. Quibus absolutis, in inclyti hujus autoris scriptis explicandis progressurus *Compendium Doctrinæ Sphæricæ* ejusdem exponet. Privatim præter *Arithmetica* et *Geometrica* exercitia, *Optices* non minus, quam *Architecturæ Militaris* et *Civilis* fundamenta Commilitonibus proposuit. *Scientiam* quoque *naturalem*, prout in prælectionum serie receperat, ex priscorum æque ac recentiorum scriptis adornatam, denuo est interpretatus. Proinde in *Mathematicis* institutionibus, sive continuandis, sive de novo exordiundis iisdem ac *Physicis*, studiosæ juventuti adesse porro sedulus allaborabit. Dissertationis autem de *Convolvulorum gyris* parti priori *historicæ*, typis exscriptæ et examini publico subjectæ, alteram posteriorem *ætiologicam* propediem subjunget. Docet publice hora I.

FRI-

FRIDERICH AUGUST HACKMAN illuftres duumviros *Grotium Hugonemque* publicis exponet lectionibus, eâque incedet methodo, quam Programmate edito expofuit. Privatim Beati Parentis *Politicam*, ex genuinis fummi Philofophi hauftam fontibus, interpretabitur. Eos verò Dominos Commilitones amice excipiet, qui felectas quasdam materias publicis fubmittere ventilationibus meditantur. Docet publice hora V.

CORNELIUS DIETERICUS KOCH prælectiones in *ratiocinandi Artem*, initio femeftris fuperioris indictas Programmate de Logices abufu, & cœptas publice abfolvit: Dein, alterius profeffionis fuæ memor, *Theologiam naturalem* ex Compendio Ven. Abb. SCHMIDII, Collegæ honorandi, publicis fermonibus exponet, quibus Programma de Theologiæ naturalis indole ac præftantia confcriptum propediem præmittet. Privatim, *Metaphyfica* audire cupientibus lubens inferviet. *Dialecticam* quoque deambulando, ut fuperiori æftate, ita nunc denuo exercebit. Difputationibus denique tum continuis tum fejunctis, quas publice habuit, novas pro fedulorum Commilitonum voto, ftatim fubjunget. Docet publice hora VII.

